

- „Aut legit, aut docet, aut laudum pia munia complet
 20 cunctipatri domino, qui regit, arva, polum.
 Hunc pro se poscit, pro te sive ordine cleri,
 pro populi et regis proque salute ducum.
 Me tibi transmisit, huius tibi dico salutes,
 subdita sunt cuius verba canenda tibi.“ ‘
- 25 Obsecro, frater amans, nostri memor esse memento,
 frater, pars animi, portio magna, mei.
 Mens tua semper erit nostros miserata labores,
 nostrae est nota tibi quod bene causa rei.
 Quo mage res nota est, magis inde adhibeto laborem:
 30 sic medicus morbum, dum videt, arte fugat.
 Fumea praesentis pereunt, scis, gaudia mundi,
 numquam fraternus sed perit almus amor.
 Me modo pluris amas, quamquam me semper amasses:
 aegrum aliis natum plus pia mater amat.
- 35 Fessis, opto, libens certa succurrere rebus,
 et fratrum mentes sollicitato pias.
 Unus ego quamvis sim, non est unius haec res:
 quod factum est mihimet, esse potest alii.
 Est commune malum, communis cura petenda est:
 40 quod nostrum est hodie, cras erit alterius.
 Haec non quis frater timeat contagia demens,
 ne illi, quae nobis, inrepat ista lues?
 Febre solet febris seu vulnere crescere vulnus:
 sic multa ex uno fonte fluenta fluunt.
- 45 Haec mea si placidam sit nacta plaga medellam,
 pristinus et veniat morbo abeunte vigor,
 tale quid ulterius non pars inimica valebit
 appetere, et scelus hoc non leve prorsus erit.
 Servus habet propriam et mendax ancillula legem,
 50 oppilio pistor nauta subulcus arans.

19 Haud ... haud ... haud TG D. — pia fehlt F — 21 pro te poscit, pro se S. — 22 pro poli G — 26 magna mea G — 27 Mens tua sit semper nostros S. — 28 est fehlt G — 29 Quo maior est nota est F, Quo maie res G — adibeto dolorem G — 31 Fume H — presentes G — 37 est (Lücke) haec res H — 39 curis TG — 40 est fehlt H — exarserit alterius H — 42 inrepat S. TG, increpat FH, imperet COLLINS — 43 & vulnere F — 45 nacta S. T, nacta GFH D. — medelam G S. — 46 ueniam F — 49 anciculle G — 50 opilio TG — pastor S.